



## The Holy See

---

PIUS PP. XEPISTOLA **QUOD NOBIS\***VENERABILI FRATRI ALFREDUM EPISCOPO TITULARI ARCensi,  
ADMINISTRATORI APOSTOLICO DIOECESIS LUCANENSIS Venerabilis Frater, salutem et apostolicam  
benedictionem. — Quod Nobis nuntias, anno vertente, sacra solemnia in tua dioecesi fore ob memoriam institutae in  
pago Ticinensi hierarchiae ecclesiasticae, gratum est; praesertim quia Sedis Apostolicae paternam de vobis providentiam  
hac re cernimus illustratum iri. Decet autem tuos eo vel splendidius eius facti memoriam celebrare velle in gratiam tui,  
quem audimus abhinc annis viginti quinque a primo istius dioecesis antistite primum omnium esse creatum sacerdotem.  
Nos, quibus es merito carus, te faustis omnibus iam nunc prosequimur: novimus enim tuam pastoralis officii diligentiam,  
cuius quidem illa etiam sunt Nobis argumento, et quod vetustam nobilemque aedem, Lucani" principem, reficiendam  
novoque cultu exornandam curasti, et quod in ea ipsa aede, quae propediem patebit iterum celebritati sacrorum,  
dioecesanam habere Synodus decrevisti. Denique in saecularibus honoribus Carolo Borromaeo tribuendis - quoniam  
istius dioecesis pars maxima ditioni paruit sanctissimi Episcopi - valde probamus tibi esse curae, ut Lucanenses tui  
nemini cedant. Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, et Clero  
populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus. *Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IX Maii*  
*MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo. PIUS PP.*

---

X

\*AAS, vol. II (1910), n. 10, pp. 408-409.